IN CHRONICON DITMARI EPISCOPI MERSEBURGII

AD MAGNIFICOS VIROS,

DN. LAMPERTUM DISTELMEIER, ET DN. ADRIANUM ALBINUM,

Doctores JCtos, Illustriss. Electoris Brandeburg. &c. CANCELLARIOS.

PROOEMIVM

REINERI REINECCII, STEINHEMII.

ARdua res est, summique ingenii Historiam scribere: & qui eam præstant operam, præclarè de omnibus merentur publicè. Est & hoc cum utilitatis fructu conjunctum haud pœnitendo, profecta ab aliorum industria id genus monumenta, si fortè lateant, proferre in lucem, quemque inde contraxere situm, conveniente lima detergere atque expolire. Qui in primo genere fuerint hactenus è veteri historia de illustrium familiarum explicationibus conatus nostri, quod ea parte operæ pretium fecerimus, à me dici, hicque inculcando repeti, decere pudorem nostrum non videbatur. Et sunt commentarii nostri in medio: Quos Deo favente atque opitulante persequi contexendo ita animus est, ut regnorum, tyrannidum, dynastiarum, quæ vel prioribus monarchiis adhuc desunt, vel ad quartam pertinent, & hæc nostra tempora attingunt, dem universas: modo in hoc cursu deserendos nos ab patrocinii necessarii ope ii haud existimaverint, quos hanc in se recipere curam par est. Nunc ad alterum genus aggredi, visum fuit. Etsi quæ ab eo instituto dehortarentur, causæ occurrerent plurimæ. Et hanc prævidebam, non defuturos, qui hoc culparent atque traducerent inclementius. Quibus respondeo, idem nos hic, quod de Commentariorum nostrorum editione, spectare, nempe unum commodum publicum. Enimvero